



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

145. An qui legit librum Hæretici de Religione tractantem hæresim tamen non continentem, incidat in censuram Bullæ Coenæ? Et quæritur etiam, quanta pars libri Hæretici requiratur ad incurrendam ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

11. Et respondet omnibus illicitum esse legere libros prohibitos hæreticorum, sed aliter doctis, aliter indoctis, doctis, qui sine periculo illos legere possunt, præter vi præcepti illicitum est, nisi licentia Sedis Apostolicæ accedat. Cujus etiam est ante licentiam cognoscere, & judicare, An sine periculo, & cum fructu licentiam petens legere possit. Nemo enim Index in propria causa esse potest. Simplicibus verò, & ignatis duplici ex capite illicitum est, scilicet nedum ex vi prohibitionis, sed etiam ob imminens, & evidens periculum.

12. Ita Lupus, quibus omnibus adde Naldum *summa ver. Bulla Cæna*, n. 12. Pueronum in *Bulla Cæna*, c. 1. §. ac eorundem libros n. 186. fol. 136. & novissimè Herma-num Busembaum in *Theol. mor.* l. 2. tract. 1. cap. 4. dub. 3. n. 6. cum Angelo Possentio in *Recollect. 99. Mor. in fine tit. var. cap. 16. n. 9. & 10.* ubi ait, neque dicere quicquam valet legis cessante fine, & lex cessare debet, nam utique id procedit si lex in præsumptione fundetur, facti criminis, non verò si se fundit in delicti futuri præsumptione; ut est in casu nostro. Ergo, &c. adde cum Cesare Carena *part. 2. tit. 5. §. 5. n. 34* in nullo casu particulari, cessare periculi præsumptionem, nimirum perversionis, quando in fide, quod quis perseveret, donum Dei est. Vide adversus Caramuelem doctissimum Patrem Tamburinum in *Decal. tom. 1. l. 2. cap. 1. §. 7. num. 41.* & Bertrandum Const. in *resolut. Theolog. cum Urbano ab ascensione in Theolog. Mor. tract. 21. cap. 7. Regula 12. fol. 366.* ubi docet temerarium fore, qui hoc de se ipso iudicium, ferre tentaret in re tanti momenti, nolletque Ecclesiæ præceptis se subijcere. Ita ille.

13. Restat modo respondere ad confirmationem Caramuelis: Dico igitur, quod nostra inquisitio Hispanica non corrigit libros primæ Classis, & qui tractant ex professo de Religione; Sed cum videt aliquos hæreticorum libros, multum proficere pro literaria Republica ab erroribus expurgat, & præbet licentiam impune legendi, anteposendo publicum bonum poenæ privatz, quam illis Authoribus imposuerat. Sicet non sit parva poena pro Authore, quod liber suus legatur inustus, & cauteriatus, ac in frontispicio cum illis verbis, expurgatus secundum Indicem Hispanicum, &c.

14. Ergo non valet argumentum Caramuelis, nec ex illo sequitur, quod legi possint ab aliis libri ab Inquisitione non expurgati, & quod in ipsis non remaneat prohibitio propter periculum infectionis, & propter poenam, & dedecus Authori impositum; Nam inquisitio vult, ut sibi placeat & liber, hac æquitate cum aliquibus hæreticis, & libris prohibitis uti, quam cæteris negat, Nihil itaque nobis officit instantia à Caramuele adducta.

15. Et ideo nostra sententia expressè assertur in Bulla Pij IV. quæ incipit Dominici Gregis, registrata in principio Indicis 161. qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritque; præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum. Quovis igitur modo illos prohibitos, si ve propter hæresim, si ve propter illius suspicionem, si ve propter obscenitates legerit, si ve retinuerit quispiam non excusatur à mortali, & hanc sententiam præter Authores citatos tenet etiam Pater Bordonus in Sacro Tribunali, capite 14. quæst. 25. num. 54.

16. Quod evidenter probatur & confirmatur, nam certum est, quod Author libri hæretici à Sancta Sede vel ab Inquisitoribus prohibiti non timet ex ejus lectione erroribus infici: quia jam scit, & memoriter tenet omnia, quæ in suo libro prohibito impressit, & tamen hoc non obstante Doctores asserunt esse interdum etiam Authori legere suum librum prohibitum,

& aliter faciendo excommunicationem incurtere, & ita docet Trullench in *Decal. tom. 1. cap. 3. dub. 9. §. 1. num. 20.* Pueronius in *Bulla Cæna* cap. 1. num. 205. folio 136. Fagundes in *Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 14. n. 17.* Sanchez in *summa tom. 1. lib. 2. cap. 10. n. 37.* Vgolinius de casibus Papæ *reserv. p. 2. cap. 1. ver. ac eorundem librorum §. 1. num. 1.*

17. Videat ergo ex hoc amicissimus Caramuel libros prohibitos suspendi non solum ratione periculi, sed etiam in poenam, ut ego docui, & praxis nostri Sacri Tribunalis demonstrat.

18. Vnde doctè dixit Suarez de fide *dispo. scilicet. 2. n. 21.* quod finis legis prohibitionis librorum hæreticorum fuit, ne tales libri conferrentur, sed destruantur; Sed in casu quo vir doctus, ut vult Caramuel, licet securus de infectione illos legat, dicti libri conferuntur, & non destruantur contra finem legis, ut vult Suarez: Ergo peccabit mortaliter, & in censuras incidet; & sic ego sentio, nec aliter sentiendum esse puto. Et ita post hæc scripta inveni Eminentiissimum Logo de fide *dispo. 21. scilicet. 2. a. n. 62. usque ad num. 68.* nostram sententiam firmiter docere, & ad argumenta Caramuelis respondere, quæ necessario à lectoribus legenda esse existimo: Vnde ex his rectè docuit Thomas Hurtadus *var. tom. 2. tract. 1. cap. 5. resolut. 7. num. 63.* indistinctè, & sine ulla limitatione non esse absolvendos à confessariis retinentes libros hæreticorum. Et *tom. 1. tract. 5. cap. 6. resolut. 62. §. 2. n. 146.* docet peccare, & in censuram incidere legentes libros ab Inquisitoribus prohibitos, etiam si hæresim non continent, & contrarium asserere esse erroneum tradit Turrinus *cent. 4. dub. 17.*

19. Sed alias rationes meliores excogitabit ipse Caramuel, sicut etiam circa sequentes resolutiones; Nam ego vellem à Sapientissimo Viro (ut ora æmulatorum clauderet, quod etiam placuit Eminentiissimo Domino meo Cardinali Chisio viro incomparabili, litterarum patrono) sicut Theologiam hanc fundamentalem, interrogatoriam, tamen, ut ipse vocat, typis mandavisset; Ita etiam quamprimum aliam Theologiam fundamentalem, responsoriam, in qua ipse ad semetipsum responderet præficeret, quando contra communes sententias disputavit. Vnde magis sic acumen ingenij sui demonstraret. Nam si mare pacificum, ut Americi loquuntur totius Theologiæ mortalis turbulentiæ videretur, postea tanquam alter facer Neptunus in pristinam tranquillitatem adduceret, & ut Achilles hasta si in dicta Theologia interrogatoria vulneraret, postea in Theologia responsoria sanaret; Ita ut de Caramuele feliciter postea omnes dicere possint, ipse percutit, & medetur.

RESOL. CXLV.

An qui legit librum Hæretici de Religione tractantem hæresim tamen non continentem, incidat in censuram Bullæ Cæna?

Et queritur etiam, quanta pars libri hæretici requiratur, ad incurrendam censuram Bullæ Cæna, si quis eam legat?

Et an si libri hæreticorum unum, aut alium continentem errorem, & ille deleatur omnino, possint sine infectione, excommunicationis legi?

Et quid, si diversi sint tom. ejusdem authoris hæretici, & unus tantum hæresim contineat, reliqui verò non contineant hæresim, an solum ille, qui hæresim continet sit prohibitus sub censura Bullæ Cæna? Ex p. 6. tit. 4. & Misc. Rel. 55.

§. 1. Negativè respondet Croulers in *Regulam S. Francisci*, cap. 7. scilicet. 5. fol. 522. ubi sic ait: Vtrum

Et Potestate Inquisitor. Ref. CXLVI. 473

Verum libri hæreticorum de Religione tractantes, si nullam hæresim contineant, sint hoc loco prohibiti; aliqui affirmant, quod videantur absolute, & sine conditione prohibiti: mihi verò sententia negans magis placet: tum quia prohibitio hæc fertur in hæresim, primario, & ratione hæresis, & hæreticorum, & sic extenditur ad eorum omnes libros hæresim continentes; tum quia hæc conditio satis expresse habetur paulò antea: quod non fuerit necesse illam repetere, sed facile subintelligi possit, non de quacumque Religione, sed hæretica, tractantes libros prohiberi. Ita Croulers.

2. Sed hæc opinio est contra textum Bullæ Cœnæ. ut optime observat Sanchez in *Summa*, tom. 1. lib. 2. cap. 1. n. 33. Suarez de *fide*, disp. 20. sect. 2. n. 10. Sanctarellus tract. de *hæresi*, cap. 13. dub. un. n. 10. & Fagundez in *præcepta Decalogi*, tom. 1. lib. 1. cap. 14. n. 13. ubi ita asserit: Secunda conditio est, ut libri contineant hæresim, vel de Religione tractent: itaque non sufficit, quod libri sint hominis hæretici: sed opus est ad incurrendam hanc censuram, quod etiam contineant hæresim, vel de religione tractent: quare si nec hæresim contineant, nec de religione tractent, quamvis legantur, retineantur, imprimantur, vel defendantur, non propterea legens, retinens, imprimens, vel defendens excommunicationem incurrit Bullæ Cœnæ: sufficit tamen, quod alterum horum contineant, vel hæresim, vel de religione ex instituto tractent; quia Bulla Cœnæ aperte loquitur disjunctivè, & alterutrum tantum petit. Ita ille. Vnde non sunt audiendi Sayrus de *conf. lib. 3. cap. 5. num. 12.* & Grassius *Decif. Aur. lib. 4. cap. 18. n. 40.* & 42. qui pro sententia Croulers faciunt.

3. Notandum est etiam hic, quod idem Croulers ubi *sup. fol. 5. 4.* petens. Quanta pars libri hæretici requiratur ad incurrendam censuram Bullæ Cœnæ, ita respondet. Arbitraretur tantam partem libri legi oportere, quæ per se sumpta verè possit libri nomine censeri; quia sicut Epistola hæretica desinit à ratione libri ad effectum incurrendæ hujus censuræ; ita etiam similis quantitas libri lecti, vel retenti, si fortè liber esset mutilus, desinit à ratione quantitas sufficientis ad eandem censuram. Sic ille.

4. Sed hæc opinio tanquam nimis laxa propterea non est admittenda: & ad plurimum, ut à nobis observatum est, & docet novissime Fagundez in *præcepta Decalogi*, tom. 1. lib. 1. cap. 14. num. 4. unam solam paginam ex magnis voluminibus dicendum est esse parvitatem materiz.

5. Cavendum est etiam ab alia opinione Croulers ubi *sup. fol. 5. 22.* asserentis: si libri hæreticorum unum, aut alterum contineant errorem illeque omnino deleatur, posse sine incursione excommunicationis legi: sed hoc, ut dixi, non est admittendum, nisi illa deletio efficeretur auctoritate publica, ut patet ex Regula 8. Indicis. Et ideo Fagundez *loc. cit.* sic ait: Animadvertendum est, quod ubi liber hæresim continet, totus est prohibitus; & ideo si quis legat partem non continentem hæresim, innotabitur hac censura, quia revera legit librum hæretici hæresim continentem, quod solum requirit Bulla: voluit enim Summus Pontifex aditum his libris legendis occidere, ut docent Suarez, & Sanchez allegati, & Vgol. etiam de *conf. Papæ reservatis* 2. p. cap. 1. verb. *ac eorumdem libros*, initio, n. 7. Imò idem quoque dicendum est, etsi illa hæresis in libro deleatur juxta Sanchez & Suar. allegatos; quia militat eadè ratio. Intelligendum id tamen est, nisi ea deletio fiat auctoritate publica, quæ relinquit totum relinquim librum liberum ad legendum, retinendum, & imprimendum.

6. Si tamen sint diversi tomus ejusdem auctoris hæretici tractantes eandem materiam non prohibitam, & unus tantum hæresim contineat, reliqui verò non cō-

Tom. V.

tineant, nec de religione tractent ex instituto solum ille, qui hæresim continet, erit prohibitus sub censura Bullæ Cœnæ: si nimis molis vixanda gratia dividatur; at reliqui separati non erunt prohibiti, sed sicut omnes tomus in unum coacti librum, aut unus liber ex diversis tomis, ac voluminibus componatur, ut plerumque fit: quia tunc unusquisque tomus pars est totius libri prohibiti. Hucusque Fagundez: cui omnino ad hærendum esse puto.

RESOL. CXLVI.

An in lectione librorum hæreticorum detur parvitas materiz?

Et an possit Confessarius absolvere eum, qui unam paginam libri hæretici legerit?

Et quid v. g. si legantur dua, vel tres, lineæ, in quibus legens certo novum contineri hæresim? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 42.

§. 1. Negativam sententiam tenet Tolet. lib. 1. c. 19. n. 9. & Vgol. in *explic. 1. Can. Bull. Cœnæ*, ver. *ac eorumdem libros* §. 1. ubi docet, in hac re non dari parvitatem materiz, quamvis unam, vel alteram lineam quis legat, quia idem periculum est, ne scilicet legens imbibat hæresim, quæ fortè in ea linea continetur.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto cum Soula in *Bul. Cœnæ*, 3. disp. 13. n. 8. & ideo Azor. tom. 1. lib. 8. c. 16. g. 3. dicit materiz parvitatem esse parva verba legere. Hurtad. de *Mendoza vol. 1. de fide disp. 76. sect. 1. §. 11.* unam, vel alteram lineam. Suarez de *fide disp. 20. sect. 2. n. 20.* quando non est multarum linearum lectio, alij verò concedunt tres, aut quatuor lineas. Ita Merolla ubi *infra*. Pesant. in 2. 2. q. 56. art. 2. disp. 6. Grass. tom. 1. lib. 4. c. 18. n. 45. alij decem. Ita Sayr. de *conf. lib. 3. tom. 5. n. 22.* Castius Pal. ubi *inf.* & de hoc dubitat Merolla, sed plus addit Sanchez. Duard. & alij, quos ego citavi in 1. p. tract. 1. 1. resol. 30. nam extendunt hanc parvitatem materiz ad unam integram paginam libri in 10. 4. tr. 3. folio impressi. Verum hæc opinio nimis laxa videtur Ref. 42.

aliquibus, quos ibi citavi, neque illam admittunt Jacob. Gordonus in *sum. tom. 2. lib. 7. q. 13. c. 8. §. 3. n. 8.* Castius Pal. tom. 1. tr. 4. disp. 2. punct. 10. §. 2. n. 6. Megal. in 3. p. lib. 3. c. 1. q. 3. n. 49. Homobonus in *consult. tom. 1. par. 2. resp. primo*, & alij. Vnde ex supradictis Scottia in *Bulla Pontif. epist. 166. theor. 4. 10.* monet Confessarios, callum esse in decreto facto de mandato Clem. VIII. à Congr. Illustr. Card. in negotiis Episcoporum & Regularium die 9. Januarij, an. 1601. ne in Italia extra urbem possent quis absolvere ab ullo ex casibus Bullæ Cœnæ Clatis, vel dubijs. Vnde in proposito nostro adeo parva debet esse materia, ut omnem dubitationem excludat, ad hoc ut Confessarius possit absolvere eum, qui legerit. Igitur propter dictum decretum Clementis tam parva debet esse materia, quæ legitur ut omnem dubitationem excludat, ut Confessarius absolvere possit eum, qui illam legerit. Ex quo fit non esse audiendum Paulum Layman lib. 2. *Theol. mor. tract. 1. cap. 15. num. 5.* dum ait posse Confessarium absolvere eum, qui unam paginam libri hæretici legerit, quia præsumere potest eum non incurrisse excommunicationem Bullæ, juxta opinionem Sanchez supra relatam. Sed manifestè fallitur, quia opinio Sanchez parum probabilitatis habet, tum quia magis communiter rejicitur, tum etiam, quia Vivaldus & Emanuel Sà, qui eam asserebant, expurgati fuerunt, & per consequens saltem est valde dubium, an legens unam paginam libri sit excommunicatus, & hoc sufficit, ut absolvi non possit, propter rationem dictam, & ita docet Merolla 10. 1. disp. 1. c. 2. coroll. 7. disp. sic. 3. n. 344. quod magis probatur, dum videmus hanc opinionem in Vivaldo & Sà emendatis à Reverendissimo Magistro sacri Palatii, amplius non inveniri.

R r

3. Sed